

Psalmus responsorius

Ps 94, 1-2. 6-7. 8-9 (R̄.: 8)

R̄. Utinam hódie vocem Dómini audiátis:
«Nolíte obduráre corda vestra».

¹ Veníte, exsultémus Dómino;
iubilémus Deo salutári nostro.

² Præoccupémus fáciem eius in confessióne
et in psalmis iubilémus ei. R̄.

⁶ Veníte, adorémus et procidámus
et génua flectámus ante Dóminum, qui fecit nos,
⁷ quia ipse est Deus noster,
et nos pópulus páscuæ eius et oves manus eius. R̄.

⁸ Utinam hódie vocem eius audiátis:
«Nolíte obduráre corda vestra,
⁹ sicut in Meríba, secúndum diem Massa in desérto,
ubi tentavérunt me patres vestri:
probavérunt me, etsi vidérunt ópera mea. R̄.